

Memoria Christ. Martini Kochii / [Johann Christian August Clarus].

Contributors

Clarus, Johann Christian August, 1774-1854.

Publication/Creation

Leipzig : F.C.G. Vogel, 1837.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/sqp7xd9r>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

B. S. *Clarus*
(Koch)

Koch

В. XXIV Кос

MEMORIA

CHRIST. MARTINI KOCHII

MED. ET CHIR. DOCT. MED. PROF. EXTRAORD. SCHOLAE REG.

CLIN. MAGISTR. PRIM. COLLEGII BEAT. MARIAE VIRGINIS

SODALIS ETC. ETC.

ORATIO

QUAM

AD INAUGURANDAM FUNDATIONEM KOCHIANAM

D. XII. FEBR. MDCCCXXXVII

IN AUDITORIO SCHOLAE CLINICAE

HABUIT

D. IOANNES CHRIST. AUGUSTUS
CLARUS

REGI SAX. AB AULAE ET REI MEDICAE CONSIL. PROF.

CLIN. ORD. POLIATER LIPS. ETC.

LIPSIÆ, 1837

apud Fr. Chr. Guill. Vogel.



Ut emitterem hanc orationem, plurimum apud me valuit gravissimorum et doctissimorum virorum sententia et auctoritas, qui, postquam audivissent eam, ut id facerem hortati sunt, tum quod res gestas commemoraret, quarum iam nunc pauci testes superessent et quae oblivioni eripiendae viderentur, tum etiam quod ad excitandos et moderandos iuniorum animos eam aliquid posse existimarent. Accessit, quod permultos nunc esse intelligerem, qui de orationibus academicis, latino sermone habendis, hanc animo induxerint opinionem, ut hoc genus omne leve quiddam et nugatorium esse, magna superbia contenderent. A quibus ego quoniam ita dissentio, ut latine scribendi ac disserendi necessitatem, omnibus, qui se aliquid in Academia docere profitentur, impositam, firmissimum literarum, quae humaniores dicuntur, praesidium esse arbitrer; occasionem, hanc sententiam publice declarandi, amittere nolui. Sicut enim corporis vita regitur et continetur animo, ita communi fundamento et vinculo opus est literis, ne sub multitudine rerum infinita corruant earumque membra disiecta languescant

et pereant. Igitur qui ab imperitis manibus dirui
atque dilapidari patiuntur fundamenta haec anti-
qua, quibus nova substruere non queunt, ii
caveant, ne, praesentis utilitatis umbra quadam
decepti, rem publicam literarum labefactatam et
perturbatam relinquant posteritati. Qui vero con-
temnunt haec studia, aut contemnere se simulant,
ii comprimant saltem invidiae et contumeliae
voces nobisque permittant, ut, quem fructum
inde percepisse nobis videmur ipsi, eiusdem etiam
alios participes reddere conemur!

REGIS POTENTISSIMI LEGATE PERILLUSTRIS
ET GENEROSISSIME

RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE,

GRATIOSI MEDICORUM ORD. DECANE MAXIME SPECTABILIS,
PROCONSUL SPLENDIDISSIME, CURATORES NOSOCOMII AMPLIS-
SIMI, CIVIUM AB URBE DELEGATORUM PRAESES GRAVISSIME,
VIRI SUMME REVERENDI, ILLUSTRES, IURE CONSULTISSIMI,
EXCELLENTISSIMI, EXPERIENTISSIMI, DOCTISSIMI,
FAUTORES ET PATRONI PIE COLENDI,
COMMILITONES ORNATISSIMI *).

Saepe mecum ipse et cum aequalibus amicisque meis
reputavi: quid cogitaturi et dicturi essent patres et prae-
ceptores nostri, si redire ad superos et in hodierno
literarum lumine versari ipsis liceret. Etenim haud
mediocrem credo fore eorum admirationem, si mutatam
et propemodum conversam rerum omnium formam con-
spicerent, si doctrinae fontes mirifice amplificatos eiusque
rivulos novos quoquoersus conductos invenirent, deni-
que si tot novis ad ipsam vitam quotidianam commodis

*) Solennitatis initium ac finem obtinuerunt chori vocalis Thomani
cantus, quibus modos ad hunc finem benevole praescripserat
Celeberrimus D. *Felix Mendelssohn-Bartholdy*, musices nunc apud
Lipsienses moderator meritissimus, et quorum verba fuerunt
loci biblici: Apoc. 14, 13: Beati mortui, qui in Domino
moriuntur etc. et Dan. 12, 3: Docti autem fulgebunt quasi
splendor firmamenti etc.

nobiscum uti possent! Utinam vero huic aetatis nostrae splendori par esset eiusdem pietas, modestia et moderatio, utpote quae vix virtutes habentur hodie, sed ignaviae et imbecillitatis indicia, viro indigna. Sic, ut exemplum sumam e medicina, alios immoderatos ac nimios videmus in aestimandis experimentis, quae in vivis animalibus capiuntur; alios felici hodiernae Physices et Chemiae successu ita inflatos ac tumidos, ut alto supercilio despiciant omnia, qua numero, mensura aut pondere indagari nequeunt. Equidem omnem harum rerum varietatem ab erudito medico non degustandam solum ac delibandam, sed pertractandam et pernoscendam penitus, neque tamen ab iis, qui eam unam artem amplectuntur, quam profiteri cupiunt, reliquas contemnendas esse censeo. Communem vero illius vanitatis et arrogantiae fontem in Philosophiae studio neglecto et in literarum humaniorum contemptu invenio, quo fit, ut a multis hodie negligantur omnia, quae non incurrunt in sensus i. e. quae non redolent cultrum anatomicum aut officinam chemicam, utque omnes, qui tractant altiora, id est, qui ex notis et manifestis ignota et recondita eruere et construere conantur, inculti et imperiti habeantur, si non ipsi urant officinas aut mactent cuniculos. — Pietatem ac debitam erga maiores reverentiam desiderari his temporibus, quae ex ipsa religionis potestate et vinculo communi emancipari cupiunt, nemo certe mirabitur! Sed exempla si quis quaerat, ille audiat Germaniae sic dictae iuvenilis, sive renatae insana convicia, quibus non solum veteribus ac defunctis detrahatur auctoritas, sed viventes adeo, si forte quadragesimum annum iam emensi fuerint, inepti ad res qualescunque gerendas et vix vita ac lumine digni proclamantur!

Sed quo minus ferenda est haec impudentia nefaria, eo magis laetemur, ad eam quodammodo expiandam exoptatissimam occasionem nobis offerri hodie. Recolenda enim est, ipso die mortis anniversario, memoria Viri Exc. et Exp. *Christiani Martini Kochii*, primi post hanc scholam conditam in ea magistri, eiusque viduae, *Christianae Fridericae*, e gente *Jankia*, quae eidem scholae testamento legavit sortem quatuor millium imperialium, idque legatum perpetuum nominis Kochiani monumentum esse voluit.

Sed aliam quoque ob causam hic dies tristissimae simul ac laetissimae nobis est memoriae. Quadragesimus enim hodie absolvitur annus, ex quo, hora post mediam noctem prima, infelici incendio deflagravit id ipsum aedificium, quod hanc splendidissimam concionem nunc amplectitur, quod quidem infortunium, per se tam funestum, tamen eo vertit D. O. M., ut id ipsum scholae clinicae condendae fortissimum praeberet impulsus.

Igitur, praemissa huius calamitatis pia et seria recodatione, ut voluntati supremae legatricis munificae satisfiat, primum b. Kochii vitam et merita commemorabo, deinde legati rationem et usum breviter indicabo et tandem iure, quod in distribuendo hoc beneficio mihi concessum est, utar.

Parentibus obscuris, sed probis et honestis editus est Kochius Vratislaviae, anno saeculi praeteriti 52. ibique prima literarum elementa accepit in illustri Gymnasio, quod sub nomine Elisabethani floret. Satis praeparatus, anno aetatis 18 primum in Academiam Halensem se contulit, ubi per biennium scholis philosophicis et medicis interfuit. Interea, quum in notitiam *Ludwigii* patris, Medicorum Lipsiensium t. t. Decani, venisset, huius viri

celeberrimi auctoritate commotus, tunc Lipsiam adiit, ut omnis generis bonas artes severius tractaret, et haud multo post, eiusdem Ludwigii commendatione, Stipendio Sylversteiniano adiutus est. Praeter Ludwigium etiam Io. Carol. Gehlerum patronum coluit, qui non solum multis eum beneficiis cumulavit, sed etiam filii sui, Gottingam abeuntis, comitem esse iussit. Inprimis vero *Kappii*, medici apud Lipsienses olim celeberrimi, insigni erga eum benevolentia factum est, ut ab arte musica, quam publicis in locis profiteri paupertate sua coactus fuerat, ad assiduum artis medicae studium revocaretur, et ut ab eodem Kappio, quum hic insignem eius in literarum cultu diligentiam, nec non morum probitatem animique candorem et ad praestanda quaevis, quae a certo socio exspectari solent officia, promptitudinem cognovisset, adiutor in curationibus privatis adhiberetur. Quae autem in *Kappio*, qui Europam omnem fama sua impleverat, fuerit moderatio, quae in *Kochio* nostro modestia ac fides vel ex eo cognoscendum est, quod haec inter eos consuetudo et amicitia in annum usque duodecimum perstiterit et tandem matrimonio inter *Kochium* et sororis *Kappii* filiam confirmata sit. Intra hoc tempus, quidquid otii labores practici ei relinquerent, id ad varios libros et libellos edendos adhibuit. Anno 1775 epistolam emisit de bile, ut Nudovio, medico Gedanensi, summos in Philosophia honores gratularetur. Simili occasione commotus, anno 1778 de palpis insectorum scripsit lingua vernacula et epistolam de sede hydroceles. Praeterea notissimi polygraphi, *Trnka de Krzowitz* librum de rhachitide adnotationibus locupletavit, versioni germanicae adiectis. Denique *Lieutaudii* Anatomen ex Gallica et *Carol. Bryanti* catalogum plantarum esculentarum ex anglica lingua transtulit, cui libro etiam alterum

volumen addidit, ut res ab auctore omissas suppleret. Iura magistri legentis et quaevis munera academica ambiendi obtinuit anno 1789 publice defensa dissertatione de bursis tendinum mucosis, cuius libelli altera parte, de morbis bursarum tendinum mucosarum, feliciter superato utroque examine, viam ad summos in arte medica honores sibi aperuit anno 1790.

Sic non, ut nunc fieri a plerisque videmus, praecipiti cursu per Medicinae campos vagatus est *Kochius*, sed per multos annos, modica sorte contentus, in eo enixe allaboravit, ut egregiam et solidam artis medicae scientiam sibi compararet, neque avide devorata, et propterea ut plurimum crudam, sed probe digestam et ad usum maturam doctrinae copiam in publicum proferret.

Quod nunc secutum est decennium in vita Kochii haud dubie fuit felicissimum! Non solum enim eruditione sua et artis peritia, sed etiam humanitate ac probitate sic sibi conciliavit omnium, qui eum noverant animos, ut inter medicos Lipsienses, quorum tunc temporis numerabantur circiter sedecim, post *Kadelbachium* et *Kappium* mox haberetur primus. Non solum autem ad aegrotorum salutem, verum etiam ad studiosae iuventutis usum doctrinae suae copiam referre studuit. Munus enim Prof. Extr. auspiciatus (Progr. de febris urticata Lips. 1792), insigni cum audientium applausu Pathologiae et Therapiae specialis elementa tradidit nec non Examinatorium instituit, quod Casuisticum vocari solebat, in quo casus ab ipso observatos proponere et auditorum ingenia exercere studuit hoc modo, ut, praemissa brevi morbi adumbratione, ipse aegroti partes susciperet et discipulis permetteret, ut, ipsum interrogando, quidquid ad construendam morbi diagnosin, prognosin et medendi rationem deesset, supplerent. Sic

factum est, ut vir ingenuus et ab omni fastu et fuce inani prorsus alienus in magno esset apud omnes honore et tandem a suprema curia, quae tunc rebus ecclesiasticis praeerat, dignissimus haberetur, quem scholae clinicae, in hac Academia condendae, praeficeret.

Qua felici et rara gravissimorum virorum concordia et inprimis quo munifico et magnanimo Senatus Amplissimi Lipsiensis sensu res eo pervenerit, ut novae disciplinae hoc nosocomium aperiretur, id a me saepius publice et privatim meritis laudibus celebratum est. Ad excelsas beatorum sedes nunc elati sunt omnes, quorum ingenio et indefesso labore peractum est hoc opus arduum, in quo cum innumeris difficultatibus, inprimis vero, ut in re nova fieri solet, cum praeconcepta opinione dimicandum erat. Sed monumentum illi exegerunt sibi aere perennius, quod non angustos intra huius nosocomii muros reconditur, sed splendorem suam in patriam emittit omnem eiusque manum conservatricem exspectat. Et, sicuti Vos, Auditores, hodie mecum veneramini pias manes *Muelleri*, magni illius et fortissimi Consulis, divi *Platneri*, medicorum Decani tunc perpetui, *Hansenorum* fratrum, aliorumque quorum auctoritas tunc silentium imposuit livori et invidiae; sic post saecula hi parietes resonabunt eorum nominibus, qui sanctissimum hoc literarum et humanitatis templum tueri, amplificare et exornare usque studebunt.

Sed a scholae conditoribus redeundum nunc est ad primum eiusdem magistrum, qui munus hoc suum auspicatus est d. 29. Apr. 1799 oratione adituali, praesente Ephoro, Platnero et auditoribus, inter quos me ipsum casu fuisse primum, qui nomen ei dederit et schedulae ad hunc finem propositae adscripserit, grata piaque mente recordor.

Iam vir ille egregius, ea qua solebat religione ac fide, quidquid in ipso facultatis et ingenii erat huic muneri laborioso consecravit et ad modum, qui Kappio suo placuerat et qui tunc placebat multis, tirones ad morbos explorandos et cognoscendos instituit nec non de remedium virtutibus disseruit et maniae Brunoniana, quae tunc occupaverat iuniorum animos, firmum pectus opposuit. Sed oneri ferendo impares erant humeri et laborem improbum sequebatur remissio et valetudo infirma. Sic factum est, ut resistere non posset Pneumoniae gravissimae, mox in febrim nervosam conversae, qua correptus est quarto muneris sui anno, ineunte mense Februarii, utque coelum cum terra commutaret d. 12. eiusdem mensis (hor. 7. vesp.) *), nemini invisus, a suis pie desideratus, cultus et honoratus ab omnibus!

Vidua eius, matrona spectatissima, septimo post mariti mortem anno iterum nupta est Viro Illustri et Iureconsultissimo *Iacobo Friderico Keesio*, supremae curiae provincialis et Ordinis Iureconsultorum Assessori, Dynastae in agris Zoebigker, Proedel et Loesnig, qui non solum propter opulentiam suam in ore erat omnium, sed etiam magnae eruditionis et in muneribus publicis administrandis indefessae diligentiae laudem insignem sibi promeruit. Postquam hoc etiam marito, quocum in duodecimum usque annum felicissimum ac fortunatissimum egerat matrimonium, morte privata esset, id, quod reliquum erat vitae eo impendere studuit, ut opes, quas largita erat fortuna, sapienter administraret et beneficia recte collocaret apud egenos et miseros. Et, quum post aliquot annos, gravi lapsu afflicta, meditaretur testamentum,

*) S. Leipz. Zeit. 1803. No. 33. p. 275.

pietatem suam erga primum maritum patefacere studuit hoc modo, ut partem bonorum ex eius haereditate acceptorum in commoda rei medicae converteret. Quum vero in hac re Viri cordati et simul iuris periti consilio indigeret, fausto certe omine secum consociavit Virum summe Reverendum et Iureconsultissimum *Friederici*, utriusque Iuris Doct. et Capituli Wurcenensis Capitularem, cuius auctoritas in iure dicendo et in causis agendis valet plurimum et qui animi, ad quaevis humanitatis officia praestanda parati, splendidissimum documentum exhibuit eo, quod, in ipso flore aetatis constitutus, mensam undevigesimam in Convictorio nostro duobus locis auxit, quod insigne beneficium gratissimo sensu revereri nunquam desinet Academia! Atque quum Vir splendidissimus, cuius laudibus ulterius persequendis abstinere iubet ipsius verecundia, pro insigni, qua conspicuus est sagacitate, et ipse intelligeret et ab aliis cognosceret, quibusnam rei medicae incommodis prae ceteris succurrendum esset; auctor illi suasorque fuit, ut sortem mille imperialium legaret fisco viduarum medicarum Lipsiensium, per Experientiss. *Sachsium* [Coll. et amic. coniunctiss.] condito, alteramque sortem quatuor millium imperialium Scholae clinicae, eamque hac lege, ut vel auditori, vel adiutori scholae, quem moderator eius, diligentiae et morum ratione habita, dignum hoc beneficio habiturus esset, ex usuris illius quotannis solverentur centum imperiales et, quod remaneret inde, ad impensas administrationis adhiberetur. Reservatum simul est in testamento, ut in his, si quid vel mutare, vel distinctius definire placuerit, id non solum testatrici ipsi, sed etiam summe Reverendo *Friederici*, quem illa Executorem testamenti esse voluit, liceret. Ceterum iussit, ut huic dispositioni in perpetuum

primi mariti memoriam nomen *foundationis Kochianae* imponeretur et imago Kochii, dono adiuncta, in auditorio scholae suspenderetur.

Hoc testamentum conditum est d. 10. Februarii 1835, testatrix vero d. 3. Augusti eiusdem anni de vita decessit.

Iam s. Reverendus Friederici, postquam sua sponte dono imaginis adiecisset collectionem librorum utilissimorum e relictis Kochii bibliotheca, iure suo, finem legati distinctius constituendi, tam liberaliter usus est, ut prius de hac re consilia conferret mecum. Atque quum cognovisset, ex aliquot annis, me suadente, scholae clinicae adiunctos esse duos *adiutores-alumnos*, eiusque instituti iam nunc maximam observari, quum in scholae rebus moderandis, tum in aegrorum curatione utilitatem, neque tamen labori diurno ac nocturno par adhuc inventum esse emolumentum; facile ab eo impetravi, ut *foundationis* redditus inter illos pariter distribuerentur. Simul constitutum est, ut haec distributio fieret ipso die mortis anniversario, habita oratione in memoriam Kochii, a Moderatore scholae in auditorio eius recitanda, utque nomina eorum, quibus annum stipendium decretum esset, in Ephemeridibus politicis Lipsiensibus publice commendarentur, adiuncta brevi, de rebus in schola hoc anno gestis, narratione.

Quod consilium, quum probatum esset Regis amico, qui cultui divino et rebus ^{schola} ecclesiasticis praefectus est, hodie primum concelebranda sunt haec sacra anniversaria.

Quare proclamanda et in hoc splendidissimorum viro-
rum consessu inque hac florentissima commilitonum corona
commendanda nunc sunt nomina eorum, qui beneficii
Kochiani primi sunt participes. Funguntur enim nunc
apud nos adiutorum officio praenobilissimi iuvenes: *Her-*
mannus Lessing, Saxo-montanus, et *Guilielmus Callisen*,

Schlesvicensis, uterque tam avito nominis splendore quam propria virtute conspicuus. Alteri enim propatruus fuit *Gottholdus Ephraim Lessing*, sidus illud et immortale decus Germaniae, ipse vero ingenium, doctrinam, dexteritatem, vigilantiam et promptitudinem suam per decem nunc menses nobis ita probavit, ut non modo laudem, verum etiam gratias ei decerneremus publicas. Alter nepos est celeberrimi Professoris Hafniensis, cuius nomen in scholis Chirurgorum nunquam est interiturum, et filius supremi Ephori ecclesiarum in ducatu Schlesvicensi, quo ipse olim in hac Academia usus sum amico certissimo et ad vitam recte instituendam exemplo. Quare, quum pater mihi tradidisset filium, ut vitam eius academicam moderarer, paterno eum suscepi animo meaeque familiae adnumeravi, quumque ante aliquot menses novus adiutor eligendus esset in rebus chirurgicis, lubenter consentiente Collega amicissimo, Exp. *Kuhlio*, dignum eum iudicavi, qui huic loco praeficeretur. His igitur stipendium illud solutum est heri, et quidem subtracta ea parte, quae de usuris anni praeteriti debebatur haeredibus Keesianis, ita ut summa pecuniae solutae esset 63 imperialium et 6 grossorum.

Iam vero ab his rebus terrestribus sursum elevemus, Auditores, corda nostra ad Deum omnipotentem, terrae coelique moderatorem eique preces offeramus et gratias supplices, quod prope aedem St. Iacobi literis quoque templum constituit sanctissimum, in quo iuvenes discendi ardore inflammati non sterili eruditionis farragine implentur, sed ad mortalium miseriam leniendam ac depellendam ipso usu instituuntur ac devoentur, ut ex eo prodeant in vitam, non vana sapientiae opinione turgidi et inflati, neque viles sui qualiscunque commodi sectatores, sed

humanitatis ministri et sacerdotes, ad vitam ipsam pro aliis deponendam educati et quotidie parati. — Recolamus grata piaque mente memortam et merita conditorum scholae nostrae, eorumque omnium, qui post illos patrocinium eius susceperunt, inprimis vero Kochii viduaeque eius, et, ut molliter ossa cubent, oremus. Suscipiamus pia vota pro patria nostra communi, pro rege potentissimo et pro omnibus, qui salutem patriae tuentur ac moderantur. Floreat et incrementum perpetuum capiat haec Academia cum urbe, quae per quatuor saecula hospitium illi praebuit, cum Senatu amplissimo, cum delegatis civium civibusque omnibus. Conservet Deus Omnipotens et praesidio suo tegat hanc domum, miseriae et egestatis sacrum refugium, cum curatoribus eius incolisque omnibus, et calamitatem qualemcunque ab ea avertat propitius, simulque proborum et improborum regat animos ad commoda eius tuenda et amplificanda; Vos vero omnes, Auditores, quicumque praesentia Vestra hanc solennitatem ornare voluistis, ad seros usque annos sospites servet atque incolumes et omni-gena felicitate Vos affluere iubeat.

D I X I.

THE NEW YORK

LIBRARY OF THE

NEW YORK PUBLIC LIBRARY

ASTOR LENOX TILDEN FOUNDATION

155 E. 42ND STREET, NEW YORK 17, N. Y.

ACQUISITION DEPARTMENT

RECEIVED

1955

1955

1955

1955

1955

1955

1955

1955

1955

1955

1955

1955

1955

1955

1955

1955

1955

1955